

CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONES FINEM SOCIO-TEMPORALEM HABENTES

SUMMARIUM: 1. Quaestiones quas huiusmodi consociationes, de quibus agemus, suscitant. 2. Fines socio-temporales in Codice Iuris Canonici. 3. Consociationes christifidelium in C.I.C. compositio et consociationes cum fine socio-temporali. 4. Congruentia finium socio-temporalium cum forma specifica privata consociationum canonicarum. 5. Natura canonica consociationum privatarum. 6. Consociationes privatae. Unicitas an multiplicitas. 7. Criteria generalia ad configurationem canonicam vel civilem alicuius consociationis quae agit in ambitu socio-temporali. 8. Conclusiones.

1. Questiones quas huiusmodi consociationes, de quibus agemus suscitant

Actio Ecclesiae in mundo non est nisi consequentia ex missione proclamandi Regnum quidem eschatologicum, ad quod omnes sumus vocati. Regnum tamen iam apud nos degens et cuius signa nostro mundo clare manifestari debent. Nullum genus tum realitatis tum activitatis humanae manere potest alienum ab Ecclesiae vita et a sua irradiatione ad diversos ordines, personalem scilicet et culturalem, socialem necnon et illum stricte politicum. Hoc sensu, christianorum actio in ordine socio-temporali proponitur a Concilio Vaticano II tamquam una ex diversis activitatibus apostolicis Ecclesiae assignatis (Cf AA 5, 7 et 8).

Attamen complexa diversitas positionum et realitatum humanarum difficiles reddunt et obscuras deci-

siones aperte christianas. Nostra aetate, problemata quotidiana planetariam dimensionem ostendunt, atque politicas relationes magni momenti implicant. Christianorum actio in mundo, ut efficax reddatur hanc complexam interactionem in linea politica, sociali et oeconomica prae oculis habere debet. Quomodo, enim, humanae realitates evangelico fraternitatis spiritu imbui poterunt? Quomodo Regnum Dei, in omni suo complexo ordine, fiet hominibus praesens? Verum quidem est, christianorum nunc actionem in vitam socialem et publicam esse unum ex privilegiatis campis ecclesialis realitatis. Plures consociationes ecclesiasticae, sive ecclesiasticam indolem referentes, in dies exsurgunt, quae pro progressu et promotione humana pugnant.

Haec legitima *caritatis* et Ecclesiae manifestatio invenitur in complexis officiis oeconomicis et politicis immersa, e quibus prescindere non licet si in evangelii pauperum favorem actionem aliquam aggredi quis velit. Moderni pauperes evelli nequeunt ex contextu socio-politico a quo generantur, quique dimensiones planetarias attingit quas impossibile est evertere nisi causae, a quibus procedunt, eradicentur. Quod quidem actionem conscientem requirit erga earum structuras. Quaedam consociationes activitatem suam in spatio, marginationis dicto, exercent in favorem progressionis et promotionis humanae, aptis institutionibus mediantibus. Insuper intendunt causas et structuras remove quae instabilitatem socialem provocant; non raro voluntarios coetus adiutores habent qui, in aliquibus consociationibus, ad nationes in viam progressionis immersas, accedunt. Tum aliae consociationes sunt ambientales sic dictae; aliae autem, ab ampliore charismate manantes, constituuntur; aliae tandem intendunt quandam actionem circa officia in

variis generibus socio-oeconomicis, professionalibus et culturalibus. Illae autem consociationes quae laborem exercent apud operarios et rurales, sive apud iuventutem sic dictam marginatam, saepe saepius magnum in politicam imprimunt impulsum tum mediante propria actione directa in ordine politico, tum per evolutionem cuiusdam conscientiae criticae erga personas quarum iura despiciuntur. Recentiores tandem consociationes in unam actionem convergunt consciam pro humanis iuribus, iustitia et pace, simul cum formatione conscientiae publicae et accusatione audaci laessionum iurium, in quibusdam specialiter circumstantiis socio-politicis. Hae, igitur, consociationes duas problematum species Ecclesiae creant.

1. Propter situationes iniustitiae quae actiones concretas in spatio politico requirunt, aliquae consociationes periculum habent contaminationis ideologicae et consequenter ut in agmen politicum convertantur.

2. Aliud frequentius problema procedit ex usu methodorum et technicarum quae Ecclesiae naturam obscurant.

Quae cum ita sint, quaestiones ponuntur circa: 1. Ecclesialitatem et problematicam talium consociationum; 2. Possibilitatem quam Codex Canonicus offert ad haec phaenomena associativa in determinatam cathégoriam collocanda.

2. Fines socio-temporales in Codice Iuris Canonici

Ad studium formationis consociationum quae in ambitu socio-temporali laborant conficiendum, necesse erit analysi submittere in primis fines consociationum canonicarum in Codice anni 1983 et comprobare quinam sint fines socio-temporales descripti qui

inter generales fines consociationum fidelium annumerentur. Si affirmative respondeatur seu tales fines socio-temporales inveniantur, investigandum erit quales et sub quibus conditionibus inter easdem consociationes integrentur. Codex, enim, sequens decretum Apostolicam Actuositatem (AA 7 et 8), inter consociationes canonicas, illas adscribit quae constituuntur *«ad pietatis vel caritatis opera exercenda et ad ordinem temporalem christiano spiritu animandum»* (Cf. can. 298 § 1).

1) *Consociationes «ad caritatis opera exercenda»*

Consociationes illae quae ad opera caritatis ordinantur respondent Codici anteriori qui, sequens canonicam traditionem, eas, tamquam pias uniones, inter ecclesiasticas consociationes includebat. (Cf. can. 707/1917).

Huiusmodi fines clare exprimunt propositum Christi eiusque Regni ac propriae identitatis Ecclesiae in ordine ad mysterium amoris tum trinitarii tum fraterni, cuius Ecclesia est sacramentum (Cf. LG 1). Ecclesia, amoris Dei erga omnes homines ministra, non potest non ex illo participare et quasi vivum illum amorem in seipsa facere fraternum et universalem sine ullo limite. Caritas evangelica cum actuationibus individualibus et consociatis quae illam concomitantur per longum Ecclesiae vitae cursum, nihil aliud est quam expressio, licet valde imperfecta, illius naturae intimae Ecclesiae quae cum «caritate Dei» identificatur in omni sua profunditate intra et extra-trinitaria.

His igitur rationibus Ecclesia sibi vindicat actionem caritativam tamquam essentielle elementum suae missionis, «officium et ius» (Cf. AA 8). Id igitur ob oculos clare ostendit consociationes, finem caritatis

habentes, semper consideratas fuisse partes integrantes consociationum fidelium et actuale Codicem eas nominare expresse et separatim a consociationibus quae sibi proponunt cum spiritu christiano ordinem temporalem vivificare.

2) *Consociationes «ad ordinem temporalem christiano spiritu animandum».*

Canon 298 § 1 expressionem quasi ad litteram repetit Decreti Apostolicam Actuositatem (Cf. AA 19) quae considerat actionem socio-temporalem sub lumine eschatologiae, quae gesta concreta amoris fraterni et universalis solidaritatis comportant. Est, igitur, Regnum amoris, mysterium communionis cum Deo et plena consummatio verae fraternitatis universalis cuius semen in corde hominis residet, imago illius Dei amoris. Omne iter temporale nihil est aliud quam inventio et conatus ad incrementum hoc semen Regni atque ad consumationem ducendi.

His potissimum de causis ordo temporalis in voluntate salvifica Dei inseritur, in Christo Iesu et in suo Regno instaurata. Hoc modo Ecclesia ingreditur toto animo in dynamismum amoris, desiderium et fundamentum ultimum omnium institutionum socialium, iam in creatione et in hominis plenitudine insitum. «Instaurare omnia in Christo» exigit actiones socio-temporales et humana proposita erga Christum integrum. Omnis, enim, humana activitas pro hominibus et populis, et erga proprium emolumentum humanum et transcendente, ordinatur ad adventum Regni.

Agitur de quadam instauratione ordinis temporalis quae modum essendi christiano homini specificum implicat. Christianorum actio in mundo est actio

quaedam originalis «ad modum fermenti», «ab intus», quod supponit quemdam typum vocationis et missionis christianorum, qui clauditur «in saeculo et ex saeculo». Agitur de eo quod christianus sit in mundo forma exemplaris cuiusdam futuri quod integre conservando praesentes cautiones libertatis praebeat¹.

Humana activitas sumit inde quandam omnino novam significationem. Quoties homo obtinet ut aliquis humanus valor huius mundi creati progrediatur, cum proposito divino erga mundum generoso animo collaborat (Cf. GS 34). Pro hominibus laborare, mundum ponere ad servitium humanarum necessitatum sine factionibus nec discriminationibus, idem est ac dilatare et fructuosam reddere quamdam amoris Dei formam erga humanitatem.

Hac de causa missio hominis christiani in mundo luctam includit pro humanis iuribus et pro progressionem oeconomica, sociali, politica et culturali, quarendo insuper efficaciores vias, quin iniciativae apostolicae in hoc ordine excludantur (Cf. AA 24; can. 21, 216 et 225) in respectu erga autonomiam ordinis temporalis eiusque proprias leges (Cf. AA 7).

Pari modo can. 327, sequens Apostolicam Actuositatem (AA 19) nobis offert criterium autenticitatis necessarium ad inclusionem consociationum, quae in hoc ambitu missionis Ecclesiae laborant, inter consociationes canonicas christifidelium. Agitur revera de illa cohaerentia inter fidem et vitam in homine chris-

¹ Cf. G. MARTELET, «La Chiesa e il temporale: Verso una nuova concezione», in *La Chiesa del Vaticano II. Studi e commenti intorno alla Costituzione dommatica «Lumen Gentium»*. A cura di G. Barauna, Firenze, 1965, 556.

tiano quae omnes ordines penetrare debet in quibus eius vita inseritur (Cf. AA 19 et GS 43).

3) *Fines socio-temporales et consociationes sive publicae sive privatae*

Clare patet in Codice Iuris Canonici apertam esse viam ad consociationes canonicas quae habeant fines socio-temporales, hac tamen posita conditione, scilicet, quod illud quod indirecte intendatur sit consummatio alicuius aspectus missionis Ecclesiae (Cf. can. 301 § 2) vel praeparent ad eius possibilitatem in determinatis adiunctis (cf. can. 114 § 1 et 2). Iam vero, erit igitur necessarium ut fines consociationum publicarum et privatarum in analysim ducantur ut inde perspiciatur quinam melius ad nostros temporales fines aptentur.

a) *Fines qui publici esse debent*

Canon 301 § 1 statuit aliquos fines non posse exerceri nisi in consociationibus publicis fidelium. Agitur hic de finibus «*quorum prosecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur*». Exempla huius typi finium ibi adductorum referuntur ad activitates quae in nomine Ecclesiae exercentur et in relatione intima cum essentialibus eiusdem finibus. Eorum exercitium actum auctoritatis ecclesiasticae exigit qui consociationi missionem conferat ad hoc ut «*nomine Ecclesiae*», officiali modo et publico operetur.

Iam vero, consociationes quae in ambitu socio-temporali missionis Ecclesiae operantur, non pertinent evidenter ad hunc typum finium quos in typo ministeriali includere possemus. E contra, fines socio-

temporales, suapte natura, e libera fidelium electione procedunt, quippe qui in ambitu saeculari missionis Ecclesiae exercentur.

b) *Fines qui publici esse possunt*

Iuxta can. 301 § 2, consociatio publica erigi potest ad quemlibet generalem finem consociationum fidelium. Hoc eruitur ex hac formula «*ad alios fines spirituales directe vel indirecte proseguendos*»². Haec expressio concordat cum illa quae in Decreto Christus Dominus invenitur, ubi aliqui ex his finibus enumerantur (Cf. C.D. 17) qui praecise coincidunt cum finibus generalibus consociationum fidelium (Cf. can. 298 § 1) inter quos finalitates socio-temporales includuntur. Fines indirecte spirituales reapse specificam

² Aliqui auctores in verbis «quorum consecutioni per privatorum incepta non satis provisum sit» innixi, canonem 301 § 2 interpretati sunt tamquam si de simplici actus substitutionis auctoritatis ecclesiasticae ageretur. Sic, verbi gratia, P. GIULIANI, *La distinzione fra associazioni pubbliche e associazioni private dei fedeli nel nuovo Codice di diritto canonico*, Roma, 1986, 199. Cf. etiam L. MARTÍNEZ SISTACH, «El derecho fundamental a asociarse», in *Asociaciones Canónicas de fieles*. Simposio celebrado en Salamanca (28 al 31 de octubre 1986), organizado por la Facultad de Derecho Canónico. Salamanca 1987, 87. Etiam J.L. GUTIERREZ, Comentario a los can. 294-411, in *Código de Derecho Canónico*: edición anotada a cargo de P. LOMBARDÍA y J.I. ARRIETA, Pamplona 1983, 232. Quin hanc possibilitatem negemus, supponimus tamen rectam canonis interpretationem non reducere actionem hierarchiae ad simplicem supplementiam actus. Canon 301 § 2 magis concrete affirmat auctoritatem ecclesiasticam «si id expedire iudicaverit» posse etiam («quoque») erigere consociationes «ad alios fines spirituales directe vel indirecte proseguendos», hac tamen conditione quod vere necessarij considerentur quia «non satis sit per privatorum incepta» provisum (cf. CD 17).

relationem important ad consociationes quae huiusmodi fines intendunt, qui incidunt directe in ordinem temporalem, quin tamen propriam ultimam spiritualem finalitatem amittant (Cf. can. 31 § 2). Unde id eruitur quod, secundum criterium finalisticum, consociationes cum illis finibus de quibus agimus, possunt inter consociationes publicas fidelium adscribi. Alia etiam elementa in ordine ad suam opportunitatem et convenientiam prae oculis haberi debent.

c) *Fines consociationum privatarum*

Exceptis finibus, de quibus in can. 301 § 1 agitur, ceteri fines generales consociationum christifidelium, possunt, secundum can. 299 § 1, consociationis privatae fines esse.

Huiusmodi consociationes necessitati satisfaciunt dandi valorem iuridicum fidelium libertati creandi et dirigendi per semetipsos illas consociationes «*ad fines spirituales quidem et apostolicos constituta[s] quos christifideles ratione baptismi prosequi tenentur*»³, amplo modo et apto ad fidelium proprias adinventiones. Quod quidem indicat christifidelium consociationes privatae ab ipsis fidelibus constitui posse ad omnes illos apostolicos fines obtinendos qui non includunt qualificatam participationem ad essentialia Ecclesiae munera (Cf., can. 301 § 1). In his finibus aptis ad christifidelium consociationes privatas generandas, non est dubium quin fines socio-temporales, de quibus nunc agimus, includantur.

Ex hac analysi circa fines consociationum christifidelium has eruimus conclusiones:

1. Codex Iuris Canonici viam aperit ad existen-

³ Cfr. Communicationes 17 (1985), 230.

tiam consociationum christifidelium quae in ambitu socio-temporali missionis Ecclesiae laborant.

2. Cum fines socio-temporales non includantur in can. 301 § 1, consociationes, quae huiusmodi finium genus intendant, possunt ad consociationes tam publicas quam privatas aggregari, quippe quod talium finium executio non necessario ad actum auctoritatis ecclesiasticae ligetur, sed ad baptismum.

3. Consociationum christifidelium in C.I.C. compositio et consociationes cum fine socio-temporali

Si actio socio-temporalis pars est Ecclesiae missionis et, utpote talis, intra christifidelium consociationes includitur, necessarium erit structuram internam harum consociationum attente investigare: 1) Quatenus fidelium consociationes, 2) Quaenam in illis acatholicorum participatio admittatur.

1) *Consociationes finem socio-temporalem habentes: consociationes christifidelium vel consociationes laicorum*

Quamvis can. 298 § 1 ad christianorum consociationes refertur in quibus clerici et laici cooperantur, et nullam statuit differentiam relate ad fines socio-temporales, nihilominus can. 327 in lucem ponit specificum vinculum inter laicorum fidelium statutum et actionem apostolicam in ordine socio-temporali existens. Canon, enim, alludit ad fines qui obtineri licet per christifidelium canonicas consociationes. Manifestat, tamen, maximam voluntatem ad hoc quod in nostro saecularisato mundo exsurgant et exuberent illae consociationes quae sibi proponant ordinem temporalem christiano spiritu imbuere. Speciali modo

eas commendat christifidelibus laicis⁴ quia eos mirum in modum aptos iudicat ad hoc finium genus in praxim ducendum plane cohaerens cum propria ecclesiali institutione.

Quandoquidem, igitur, Codex specialem mentionem horum finium in laicorum consociationibus facit, legitima quaestio exsurgit utrum, scilicet, consociationes, quae ad hos fines diriguntur, debeant exclusive a laicis componi, an vero, ut in aliis consociationibus et coetibus modernis occurrit, alii «christifideles» possint harum consociationum membra effici.

a) *Participatio «christifidelium clericorum» in consociationibus finem socio-temporalem attingentes*

Can 278 § 1 statuit clericorum ius ad consociationes erigendas circumscribi ad illos fines «statui clericali congruentes». Iuxta hoc principium, clerici poterunt legitime partem habere solummodo in illis consociationibus quarum fines componi quaeant cum obligationibus proprii status nec obstant adimpletioni missionis pastoralis eis commissae (Cf. can. 273, § 3).

Iam vero, Codex aliquas notat restrictiones circa clericorum activitatem in ordine politico, oeconomico et sindacali (Cf. can. 285 § 3 et 4; 286 et 287 § 2). Tales restrictiones afficiunt eorum participationem ad consociationes directe respicientes hoc genus activitatum quae specialiter notantur tamquam eorum statuto oppositae⁵. Exsistunt, ergo, quaedam mediationes

⁴ Canones, in quibus notantur «Normae de laicorum constitutionibus» (can. 327-329) potius dicuntur exhortativi quin normam aliquam specialem contineant. Non igitur, offerunt speciem particularem consociationum, sed earum tantum christifidelium consociationum quae ex solis laicis conficiuntur.

⁵ Lex prohibens clericis ut partem habeant in associationibus

generis politici et oeconomici, quae cum clericorum statuto componi nequeunt. Prohibitio, nuper relata, non afficit nihilominus alias socio-temporales activitates dummodo propriae dedicationi ministeriis ipsis commissis non obstant.

b) *Participatio «christifidelium religiosorum» ad consociationes finem socio-temporalem attingentes*

Participatio religiosorum ad fidelium consociationem, iuxta naturam vitae religiosae, requirit consensum superiorum iuxta proprium ius (Cf. can. 307 § 3). Ad fines ordinis socio-temporalis, statuta religiosorum aequalia stabiliuntur atque illa clericorum (Cf. can. 672). Eadem restrictiones declarantur in ordine politico, sindacali et oeconomico (Cf. can. 285 § 3 et 4; 286 et 287 § 2). Insuper religiosi prae oculis habere debent publicum testimonium de «separatio[ne] mundi» omnibus religiosis communi (Cf. can. 607 § 3), necnon incompatibilitates quae exurgere valeant ex proprio charismate et ex primaria dedicatione ad fidelem eius executionem. Consociationes, quae has condiciones non adimpleant, incompatibiles cum statuto ecclesiastico religiosorum considerari debent.

c) *Consociationes «christifidelium» cum finibus socio-temporalibus*

Tum ius consociationis in Codice contentum, tum diversa fidelium statuta, viam apertam relinquunt ad

cum fine politico, omnes illas attingit quae directe vel indirecte finem intendunt politici generis, utpote quae sint cum unitatis ministerio incommensurabiles (cf. Sacra Congregatio Cleri, Declaratio *Quidam Episcopi*, 8 Mart. 1982, in AAS 74 (1982), 642-645).

possibilitatem consociationum cum fine socio-temporali, quae ex christifidelibus constant. Actio socio-temporalis christiana consequitur participationem omnium baptizatorum in regali et prophetico sacerdocio Christi quod ad omnem Populum Dei extenditur. Quod manifestum reddit consociationes, socio-temporalem finem attingentes, formaliter esse posse sive consociationes laicorum sive consociationes christifidelium. Unici, enim, fines, quos Codex incompatibiles iudicat cum statutis clericorum et religiosorum, — politici et economici — sunt iidem praecise qui excluduntur a consociationibus canonicis fidelium, ut inferius considerabimus. Attamen, cum de activitate «in saeculo et ex saeculo» agatur, conservari debent diversa statuta interecclesialia quae conditiones ad relationem cum saecularitate in Ecclesiae sinu apponunt. Quod quidem diversas participationis formas ad fines proprios creat iuxta illas obligationes quae ex unoquoque personali statuto emanant: in primis ex religiosis et clericis, sed etiam ex aliis vocationibus interecclesialibus quae incompatibilitates creare possunt. In quibusdam aggregationibus, hoc idem inspicitur in sua constitutione intima per diversas sectiones quae diversitatem participationis in unicum finem ducunt.

2) *A catholicorum praesentia in consociationibus cum fine socio-temporali*

Harum natura consociationum, quae in area neutra fiunt ubi hominis humana et transcendens vocatio confluit, secum in propria dinamica affert aperitionem ad «acatholicos». Non, igitur, mirum est quod ratione reflexionis atque persuasionis quotidie profundioris, circa necessitatem universalis solidaritatis,

consociationes cum fine humanitario, augeantur per participationem aliorum membrorum quae non habeant plenam cum ipsis communionem vel nec ipsam fidem. Immo, Ecclesia ipsa desiderat et fovet ardentem hanc collaborationem, ut vires omnium uniantur ad mundum magis iustum et humanum constituentem, ubi unicuique homini proprius locus tribuatur⁶.

Aliunde ipse Codex Iuris Canonici, pro incorporatione membrorum, remittit ad statuta (Cf. can. 307 § 1), quin mentionem faciat de participatione acatholicorum in christifidelium consociationibus. Nobis quidem videtur silentium normativum interpretari non posse quasi negationem omnis participationis catholicorum in christifidelium consociationibus, siquidem remanet existentia permanens duarum positionum antagonicarum in sinu Commissionis codificatricis⁷. Hoc factum concedit Ecclesiae quandam maturationem in sua expansione oecumenica in via consociativa ante quamlibet normativam genericam, dum aliqua elementa alicuius momenti praebebat ad subtilia problemata quae generat solvenda:

α. Convenientia formas quaerendi quae necessitatibus aptentur. Modalitas privata consociationum sine dubio aptior est ad hoc genus formandi consociationem.

β. Respectu ad consociationes cum finibus socio-temporalibus, nullae speciales difficultates exsurgunt.

⁶ Cf. AA 27; AG 12; SRS 32 et can. 328.

⁷ In preliminaribus redactionibus canon erat quidam qui participationem acatholicorum permittebat quique post longam discussionem deletus fuit. Dum, enim, aliqui consultores fautores erant amplitudini oecumenicae, sine ulla restrictione, aliis, e contra, maxime periculosa videbatur expansio consociationum catholicarum ad acatholicos. Cf. Communicationes 12 (1980), 100-101; 15 (1983) 82-84; 18 (1986) 219 et 290.

Ipsa magisterialia documenta huic collaborationi favent (Cf. AA 27; AG 12; SRS 32).

Iam anno 1971 Pontificium Consilium pro Laicis quasdam normas probavit in quibus conditiones praescribuntur ad hoc ut Organisationes Internationales Catholicae gaudere possint participatione membrorum acatholicorum. Hoc in casu acatholici non considerantur tamquam membra pleno sensu, id quod problema in ordine practico discriminationis provocat eorum a catholicis⁸. Aliae actuales aggregationes pro oecumenicis habentur. Licetne, igitur, eas inter consociationes catholicas christifidelium numerare? Integrum esset, sine dubio, possibilitatem investigare cuiusdam recognitionis Ecclesiarum «pro parte sua» alicuius consociationis oecumenicae. Posset fortasse id, in praxi, in terminum perduci per recognitionem cuiusdam consociationis privatae oecumenicae, vel per erectionem diversarum sectionum recognitarum ab unaquaque ecclesiali communitate; quod in Iure Canonico, idem esset atque recognitio unius sectionis alicuius consociationis privatae christifidelium cum fine socio-temporali. Tandem, statuta praevidere debent illas diversas formas participationis acatholicorum quas sumere valet consociatio, securitates quae statui debent et conditiones quae consociationem in locum fraternae comunionis efficiant.

4. Congruentia finium socio-temporalium cum forma specifica privata consociationum canonicarum

Siquidem fines socio-temporales apti sunt ad originem producere alicuius consociationis fidelium

⁸ Cf. CONSILII DE LAICIS, Directorium *Le motu proprio* respiciens normas quibus Instituta Internationalia Catholica definiuntur, 3 dec. 1971, in AAS 63 (1971) 948-956.

quae formaliter publica vel privata esse potest, necesse erit rationes in primis investigare quae nos ad optandum pro configuratione privata consociationum huic typo affinium inducunt.

1) *Diversa natura ecclesiologica consociationum publicarum et privatarum*

Diversa canonica regulatio consociationum publicarum et privatarum provenit a diversa natura ambarum; id quod ad duos titulos participationis in Ecclesiae missione respondet. Consociationes publicae existentiam ducunt a decreto erectionis ab auctoritate ecclesiastica a quo «missionem» accipiunt ad «nomine Ecclesiae» agendum (Cf. can. 313). Missio haec determinationem iuridicam constituit quae consociationi permittit qualificatam participationem in Ecclesiae missione, dum perficit finem quem sibi consociatio proponit. Nam, coherens can. 313 cum natura publica consociationum, statuit, nimirum, in virtute eiusdem erectionis decreti, consociationem *«missionem recipere, quatenus requiritur, ad fines quos ipsa sibi nomine Ecclesiae persequendos proponit»*.

Ex sua vero parte consociationes privatae «ex missione ex baptismo» surgunt et sunt quaedam consequentia participationis fidelium in missione Ecclesiae, solummodo et exclusive, tamquam exercitium iuris-debiti quod omnibus fidelibus in Ecclesiae aedificationem convenit. Consequenter habet suam causam efficientem in libera ordinatione fidelium ex baptismo.

2) *Gradus canonicae publicitatis secundum expressionem diversorum graduum ecclesialitatis*

Consociationes, sive publicae sive privatae, fidelium constituuntur ad participandum in missione Ecclesiae, quae quidem non potest tamquam naturae privatae considerari⁹. Ex quo quaestio exoritur circa applicationem verbi «privati» his consociationibus. Terminologia «publicum-privatum» inducit elementa ex Iure Civili quae non aptantur ad naturam Ecclesiae eiusque communitatum, et ad privatam sphaeram relegant fidelium participationem in missione Ecclesiae «ratione baptismatis»¹⁰.

Attamen his terminis «publicum» et «privatum», ultra hanc aequivocam terminologiam, intenditur simpliciter distinguere consociationes, quae originem ducunt ex auctoritate ecclesiastica ab illis quae ex libera determinatione fidelium procedunt. Consociatio «privata», est privata solummodo per oppositionem ad illas consociationes publicas quae aliquo modo Ecclesiae sponsionem accipiunt.

⁹ Iuxta W. BERTRAMS, «Ius est privatum si ordinatur directe in bonum personale supernaturale. Ius est publicum si ordinatur directe in bonum commune supernaturale» (cf. W. BERTRAMS, «De natura iuridica fori interni Ecclesiae», in *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, 40 (1951) 310. «De publicitate iuridica statum perfectionis Ecclesiae», in *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, 47 (1958) 131.

¹⁰ Maior canonistarum pars hanc qualificationem non adaequatam reputant ad ecclesialem realitatem exprimendam, scilicet, cuius consociationes canonicae privatae non sunt nisi quoddam sustentaculum: J. BEYER, *Del Concilio al Codice. Il nuovo Codice e le istanze del Concilio Vaticano II*, Bologna 1984, 79-80. E. CORECCO, «La recepción del Vaticano II en el C.I.C.», in ALBERIGO-JOSSUA, *La recepción del Vaticano II*, Madrid 1987, 322. J. MANZANARES, «Las asociaciones canónicas de fieles», in *Asociaciones canónicas de fieles* (cf. nt. 2 ad L. MARTÍNEZ SISTACH), 115.

Non licet loqui de «publico» et «privato» tamquam si de realitatibus ageretur quae totaliter differentes essent et limites plene definitos haberent. E contra, diversi habentur gradus publicitatis secundum mensuram repraesentationis et incidentiae ecclesialis unius institutionis canonicae. Haec gradatio induxit anteriori doctrinae ad adhibendam categoriam «semi-publici», ad significandum quemdam gradum medium inter institutum publicum, quod maximum gradum publicitatis obtinet, et privatum quod ad bonum supernaturale personale refertur¹¹. In consociationibus canonicis maximum publicitatis gradum responderet consociationibus publicis christifidelium. Non, tamen, licet parallelismum statuere inter consociationes privatas et instituta canonica stricte privata¹², quandoquidem huiusmodi consociationes, etiamsi illum gradum publicitatis non attingant quo publicae gaudent, non tantum ad bonum personale supernaturale ordinantur. Consociationes privatae eriguntur ad Ecclesiae missionem participandam et in ordine ad bonum commune ecclesiale promovendum. Hoc ostendit consociationem privatam habere quemdam publicitatis gradum qui, nihilominus, inferior est illo quo publicae consociationes gaudent. Hoc sensu, distinctio inter publicum et privatum nihil est aliud quam limitatio similis illi quae inter servitia ministerialia et non ministerialia interest.

Gradus ecclesialitatis cuiuscumque consociatio-

¹¹ Doctrina canonica relate ad vota, et Codex anni 1917 relate ad oratoria, statuebant categoriam praecise mediam «semi-publicum» quae, in gradu inferiori, participabat publicitate et officialitate quae instituto publico concedebatur.

¹² Exempli gratia, votum privatum pertinet ad forum internum et sacellum privatum fit ad usum unius personae vel coetus privati.

nis pendet a forma canonica quam accipiat, maximam in consociationibus publicis et minorem in privatis cum magna gradatione possibilitatum: privatarum, cum vel sine personalitate iuridica, catholicarum, laudatarum, commendatarum. Ex harmonia inter cohaerentiam et naturam uniuscuiusque consociationis pendet gradus publicitatis, qui in diverso regimine iuridico applicabili exprimitur. Aliquae consociationes propter suos proprios fines iam maximum gradum publicitatis requirunt, suntque illae quae in can. 301 § 1 inseruntur, dum fines, qui pertinent ad ordinem de quo agimus, melius inhaerent christifidelium consociationibus minore gradu praeditis publicitatis.

3) *Consociationes privatae et fines socio-temporales*

Si prae oculis habemus naturam consociationum publicarum et privatarum, illud clare observamus, scilicet, quod fines socio-temporales, quatenus intelliguntur ut actio «in saeculo et ex saeculo», quamvis formaliter locum dare possint consociationi publicae (cf. can. 301 § 2) vel privatae (Cf. can. 299 § 1), magis congruunt cum specie privata quam cum specie publica fidelium consociationum. Media socio-temporalia et actio circa structuras melius aptantur naturae consociationum privatarum, quae exsurgunt ex «missione ex baptismo», quam publicis, quae interventum auctoritatis ecclesiasticae requirunt tam in erectione canonica, quam in «missione» quam consociatio recipit. Consequentiae, quas in ordine sociali, oeconomico et politico hi fines inducunt, favent magnae libertati in institutione ecclesiali et in ipsa activitate ecclesiastica relate ad optiones et activitates quas fortasse talis consociatio exercere debebit ad propriam missio-

nem recte adimplendam. Usus aliquorum mediorum saecularium necessariorum debet exprimere pluralitatem ecclesiam et nunquam debet occasionem praebere ad hoc ut habeatur ut optio officialis Ecclesiae vel hierarchiae (cf. G.S. 43 et O.A. 50). Praeterea, in quibusdam occasionibus dari possunt positiones characteris publici quae nullo prorsus modo confundere licet cum officiali et publica Ecclesiae actione.

5. Natura canonica consociationum privatarum

Quandoquidem consociationes, de quibus agimus, apparent ordinarie tamquam privatae, nostra interest analysi submittere essentialia elementa harum consociationum quae quamdam novitatem Codicis Canonici anni 1983 constituunt.

1) *Elementa constitutiva consociationum privatarum*

Privatae consociationes fundamentum sumunt ex iure fundamentali quo fideles omnes gaudent participandi in Ecclesiae missione. «Missio ex baptismo» fundamentalem libertatem extollit omnium fidelium ad apostolatum proprium exercendum et ad consociationes constituendas cum specifico fine in Ecclesia (Cf. cann. 215 et 216). A suo, ergo, proprio fundamento, consociationes privatae originem ducunt in fidelibus, quin necesse sit ut ecclesiastica auctoritas interveniat¹³.

Privata consociatio, fructus ex fidelium conventionione, quamvis «de facto» existit, in ambitu tamen

¹³ Hoc quidem aliquid novum est, si cum antiquo Codice Canonico confertur, in quo omnes consociationes canonicae ab auctoritate ecclesiastica procedebant.

privato, «privata inter se conventione», permanet (Cf. can. 299 § 1). Categoriā canonicā acquirit per «agnitionem» competentis auctoritatis, quo fit ut constituta maneat tamquam consociatio privata cum effectibus in sua structura (Cf. can. 299 § 3). Haec «agnitio» supponit verificationem suae authenticitatis christianae, unde oritur necessitas recognitionis statutorum. Eorum «recognitio» actus est auctoritatis qui fidem facit de ecclesialitate alicuius consociationis, de eius exsistentia in communione cum Ecclesia et cum fine propriae missioni conformi. Non involvit auctoritatem recognoscentem, neque naturam privatam mutat consociationis, quae permanet fructus conventionis initae inter socios; attamen conventio non est amplius «privata», sed gradum canonicum acquirit tamquam «consociatio privata» (Cf. can. 299).

Inde duo deducimus essentialia elementa constitutiva huius speciei consociationum canonicarum: 1) Conventionem inter fideles ad obtinendum determinatum finem in ordine ad suam participationem in missione Ecclesiae. 2) Recognitionem statutorum ab auctoritate ecclesiastica ut hae consociationes esse possint «consociatio privata».

2) *Regimen autonomiae et libertatis*

Regimen iuridicum consociationum privatarum fidelium procedit ex earum natura quae exprimit et libertatem fundamentalem fidelium et principium communionis ecclesiasticae in quodam originali aequilibrio inter autonomiam et subiectionem vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae.

Consociationes privatae a fidelibus conditae, a propriis statutis reguntur (Cf. can. 321). Autonomia, hoc modo significata, concretum regimen canonicum

involvit (Cf. can. 321-326), signatum a libertate constitutiva in ordinatione consociationis et in electione propriorum moderatorum (cf. cann. 309 et 324 § 1), in bonorum administratione (Cf. can. 325) et in causarum ordinatione quae locum dare possunt ad consociationis extinctionem (Cf. can. 326 § 1 et 2). Statuta libere assignabunt vincula, quibus membra cum consociatione coniunguntur et conditiones admissionis ac dimissionis eorum, ratione habita iuris communis et iurium personarum, semper tamen causa iusta ad dimissionem requiritur (Cf. can. 308).

Haec tamen autonomia nequit absoluta esse. Consociationes privatae missionem Ecclesiae participant eique responsabilitatem inducunt in sua propria actuazione in quantum haec actio in missione apostolica inseritur. Supponit communionem ecclesiam (Cf. can. 209), essentialem ad hoc ut consociatio maneat in dynamica Ecclesiae, eiusque communitatum. Ab illa manant normae vigilantiae et regiminis harum consociationum (Cf. can. 305 et 323), specialiter relate ad suas activitates apostolicas, quae ordinari debent ad bonum commune (Cf. can. 323 § 2), et ad destinationem bonorum ad finem consociationis (Cf. can. 323 § 1), salva semper libertate auctoritatis ecclesiasticae ad societatem aliquam privatam supprimendam, quando eius activitas damnum infert grave doctrinae vel disciplinae ecclesiasticae aut causa est scandali apud fideles (Cf. can. 326 § 1).

Haec, quae meminimus, elementa essentialia characteristicas praebent consociationum privatarum quatenus constituuntur consociationes canonicae ex baptismo a fidelibus, mediante conventionem inter eos constituta, ut aliquem perficiant finem, cum missione Ecclesiae, in regimine autonomiae et libertatis, congruum.

6. Consociationes privatae. Unicitas an multiplicitas

1) *Consociationes privatae cum personalitate iuridica*

Quaelibet consociatio privata christifidelium, non habet personalitatem iuridicam ex eo solo quod eius statuta sint recognita, sed, iuxta can. 322 § 1, eam acquirere potest per decretum formale illius auctoritatis ecclesiasticae de qua can. 312 loquitur. Decretum formale, tribuens personalitatem iuridicam privatam, constituit consociationem tanquam subjectum iurium et obligationum quin tamen eius naturam privatam mutet (Cf. can. 322 § 2).

Concessio personalitatis iuridicae privatae est actio competentis auctoritatis, quae secum fert «probationem», consociationis statutorum. Haec «probatio» est natura sua diversa a «recognitione»¹⁴, quae exigitur ad hoc ut «agnitio» alicuius consociationis habeatur, et differt etiam a formali «approbatione» ad statuta consociationis publicae requisita¹⁵.

¹⁴ Ante Codicem, 1983, verbum «probatio» non habebat aliquem iuridicum sensum concretum, et tempore, quo Codex conficiebatur, in usu erant: «recognitio» et «probatio» indistincte adhibita. Non tamen plene identificantur, siquidem can. 299 § 3 statuit «recognitionem» statutorum ad «agnitionem» consociationum privatarum, et can. 322 praescribit «probationem» eorumdem ad concessionem personalitatis iuridicae privatae, quod manifeste ostendit de duabus formalitatibus distinctis agi.

¹⁵ Verbum «probatio» non eodem modo auctoritatem implicat atque verbum «approbatio». Concessio personalitatis iuridicae privatae secum fert gradum interventionis hierarchiae inferiorem respectu ad illum qui requiritur in concessione personalitatis iuridicae publicae. Hac de causa gradus interventionis auctoritatis relate ad statuta non potest esse identicus. Hanc positionem firmat can. 322 § 2 qui determinat «*statutorum vero probatio consociationis naturam privatam non immutat*». Quod docet natu-

Sub hoc aspectu personae iuridicae privatae assimilantur, sua constitutione, personis iuridicis publicis quandoquidem suam existentiam adquirunt virtute unius actus positivi auctoritatis ecclesiasticae «expresse concedentis» (Cf. can. 114 et 116 § 2). Hic actus, quamquam differt ab erectione in consociationem publicam, interventum denotat auctoritatis ecclesiasticae qui pugnat cum natura et causa efficiente consociationis privatae, quia personalitas iuridica privata, unica quae permittit ut consociatio subiectum sit iurium et obligationum (Cf. can. 310), suam efficientem causam invenit in auctoritate ecclesiastica eamque refert ad ipsam consociationis constitutionem modo simili, licet in gradu inferiori, ac in consociationibus publicis. Hoc simul demonstrat, consociationem privatam, cum personalitate iuridica, secum ferre quemdam gradum publicitatis superiorem illa consociationis privatae recognitae quae constituta non fuit subiectum iurium et obligationum quaeque stadium medium constituit inter consociationes publicas et illas privatas pariter recognitas.

2) *Consociationes privatae recognitae*

Consociationes privatae, quae personalitate iuridica non gaudent, partem habent in ordinatione canonica dummodo earum statuta «recognita» sint ab auctoritate ecclesiastica (Cf. can. 299 § 3), etiamsi

ram «probationis» non identificari cum «approbatione» ad consociationes publicas requisita quae naturam consociationis privatae in publicam mutat. Insuper can. 314 statuit mutationes aut revisiones statutorum consociationum publicarum approbari debere, quod quidem non exigitur relate ad personam iuridicam privatam.

non sint subiectum iurium et obligationum ad normam strictae legislationis canonis 310. Tales consociationes gravissima problemata creant propter ambiguum redactionem horum canonum. Dum, enim, ex una parte consociationes privatae constituunt certam novitatem, quae exsurgit ex ecclesiologia Vaticani II, ex alia parte formae technicae redactionis reducitur ad maiorem vel minorem relationem ad auctoritatem ecclesiasticam secundum gradum eiusdem interventuum¹⁶. Haec difficultas augetur propter incertam redactionem canonis 310 in quo asseritur has consociationes, ab auctoritate recognitas, non esse subiectum iurium et obligationum «qua tales», ex quo oritur problema circa contradictiones inter can. 310 et reliquam legislationem de consociationibus privatis recognitis¹⁷. Posito tenore restrictivo canonis, interrogare licet in qua re consistat «agnitio» consociationis per actum administrativum «recognitionis» statutorum (Cf. can. 299 § 3). Secundum nostrum modum rem considerandi, solummodo importat hanc consequentiam, scilicet, quod auctoritas recognoscit consociationem eiusque finem conformari cum vita et cum Ecclesiae missione. Congrua auctoritas suum beneplacitum concedit ad finem a consociatione propositum exercendum in ordine ad ius quod membra habent ad Ecclesiae missionem adimplendam «ratione baptismi»¹⁸.

¹⁶ Maior est gradus in illis quae personalitate iuridica gaudent (cf. can. 322), minor in his quae illa carent (cf. can. 299 § 3) et nullus in illis quae tali iure privantur (cf. can. 299 § 1).

¹⁷ Ita quidem, nam iuxta can. 310 non emanant effectus canonici ex statutorum recognitione.

¹⁸ Sub hoc aspectu, consociationes privatae recognitae eadem realitatem producant ac illae approbatae iuxta Codicem anni 1917.

3) *Consociationes cum fine socio-temporali cum vel sine personalitate iuridica*

Si ante oculos ponimus legislationem de consociationibus privatis cum personalitate iuridica et recognitis, logicum videtur praeferre modalitatem consociationum privatarum cum personalitate iuridica ad constituendas consociationes de quibus agimus. Attamen considerare debemus hoc factum, scilicet, quod ecclesiologice illae consociationes quae habent personalitatem iuridicam offerunt maiorem gradum insertionis in realitatem Ecclesiae, quod certis in occasionibus perniciosum esse posset propter media socio-temporalia quibus aliquae consociationes utuntur.

Ad conferendam personalitatem iuridicam alicui consociationi privatae cum fine socio-temporali deberemus ante oculos ponere, praeter criteria generaliora ecclesialitatis, quaedam elementa quae relationem faciant ad insertionem consociationis in societatem et ad problemata exsurgentia. Haec elementa, ex natura quae a rerum statu pendet, criteria praebebunt de convenientia utrum aliqua consociatio, cum fine socio-temporali, personalitate iuridica gaudeat, an melius sit ut condatur ad modum societatis recognitae.

Praeterea, christifidelium consociatio potest formam consociationis privatae sine personalitate iuridica eligere relate ad sumam quamdam criteriorum inter quae inveniri poterunt elementa civilia. Aliquando, consociationes sine personalitate iuridica, magna gaudent libertate actionis in ambitu saeculari, quod in Ecclesiae propectum verti potest quia hoc modo Ecclesia ipsa non involvitur in actionibus quarumdam consociationum. Etiam, non raro, congruum erit quod hae consociationes non habeant iuridicam personalitatem, ut accidit in casu alicuius consociatio-

nis indole prophetica insignitae, in tempore persecutionis vel gravis oppositionis versus christianismum; alias id exigitur ab ipsa Ecclesiae libertate ob determinatas species mediorum, ut, verbi gratia, necessitatem non limitandi legitimum pluralismum optionum et mediorum in quibusdam circumstantiis vitae tum civilis tum publicae. Etiam occurrit casus in quo electio huiusmodi mediorum possit esse effectus electionis promotorum consociationis ad emolumentum seu beneficium in ambitu civili speciali modo in locis in quibus regimen opponitur Ecclesiae. Praeterea animadvertendae sunt consequentiae civiles ex personalitate civili ortae, in illis locis in quibus consociationes civiles, quae personalitate iuridica ecclesiastica fruuntur, gaudent etiam personalitate iuridica civili.

Hisce igitur rationibus consociationes privatae sine personalitate iuridica, propter gradum infimum ecclesialitatis quem ostendunt, erunt in quibusdam circumstantiis formae privilegiatae consociationum quae laborant in ambitu temporali. Valde, ergo, conveniens est ut hae consociationes personalitatem iuridicam civilem possideant dum etiam vinculum communionis cum Ecclesia inducunt. Consociatio privata sine personalitate iuridica gaudere potest privilegiis communionis ecclesialis et eius naturae confessionalis eo quod in gradu parvo inserta est in Ecclesiae missionem.

4) *Diversitas consociationum privatarum christifidelium tanquam expressio diversorum graduum ecclesialitatis et consociationes cum fine socio-temporali*

Actualis regulatio consociationum privatarum fidelium statuit certam hierarchiam inter ipsas quae ascendens procedit a consociationibus de facto

«*privata conventione initis inter christifideles*» (Cf. can. 299 § 1), ad consociationes privatas recognitas (Cf. can. 299 § 3) et illas quae personalitate iuridica privata fruuntur (Cf. can. 323 § 1). Si, praeterea, ob oculos habemus consociationes quae manant e iure fundamentali fidelium ad participandam missionem Ecclesiae, insigniri posse nomine «*catholicae*» (Cf. can. 300) vel laudari aut commendari ab auctoritate ecclesiastica (Cf. can. 299 § 2) invenimus extensionem diversorum aspectuum consociationum privatarum; quod est manifestatio diversorum graduum ecclesialitatis aptorum ad recipiendum consociationes canonicas christifidelium cum fine socio-temporali.

1. *Consociationes privatae cum personalitate iuridica*. Cum statutis approbatis et cum iuribus et obligationibus inhaerentibus personis iuridicis privatis (Cf. can. 322). Signant gradum elevatum in insertionem ecclesiali. Multae consociationes cum fine socio-temporali in illis invenire queunt aptum locum ad suum finem obtinendum.

2. *Consociationes privatae recognitae*. Recognitio harum consociationum reducitur ad recognitionem earum ecclesialitatis et congruentiae finis et methodi, cum missione Ecclesiae, per recognitionem statutorum (Cf. can. 299 § 3). Electio huius modalitatis conditionari potest a circumstantiis temporis vel a specie mediorum quae consociatio adhibet.

3. *Consociationes privatae «de facto»*. Exsistunt virtute iuris fundamentalis consociationis per «*privatam conventionem inter christifideles*» (Cf. can. 215, can. 299 § 1), sed quarum statuta non fuerunt recognita. Inter illas eminent consociationes civiles quarum fines, etiamsi procedant ex imitatione christiana, manent extra ambitum earum quae canonicas consocia-

tiones constituunt ratione mediorum stricte temporalium quae adhibent.

4. *Consociationes quae nomen «catholicae» recipiunt* (Cf. can. 300). Tales consociationes ostentant gradum elatum representativitatis ecclesialis. Usus huius qualificationis ex parte nostrarum consociationum, similia inducit problemata illis productis occasione consociationum publicarum, eo quod includunt quandam «quasi» repraesentationem officialem Ecclesiae quando signat cum qualificatione «catholica» omnes suas consociationes.

5. *Consociationes laudatae aut commendatae*. Independentem ab statuto catholico aut civili, «laudatio» et «commendatio», relate ad ius canonicum anni 1917, maiorem gradum ecclesialitatis implicant intra suum proprium statutum. Potest signare modum exprimendi conformitatem alicuius consociationis, habentis finem socio-temporalem, cum finibus et missione Ecclesiae in determinato ordine iuxta adiuncta temporum.

Consociationes cum fine socio-temporali inveniunt in hac multiplici numero statutorum consociationum privatarum, viam directam ad suam insertionem ecclesialem. Ut patet, electio unius vel alterius modalitatis pendet a criteriis obiectivis quae gradum insertionis exprimant illius consociationis ad missionem Ecclesiae. Hoc, primario, pendet ab specie consociationis et a deditione christiana membrorum, et, secundo loco, a cohaerentia modorum, technicarum et strategiarum erga naturam Ecclesiae et eius in mundo missionis.

7. Criteria generalia ad configurationem canonicam vel civilem alicuius consociationis quae agit in ambitu socio-temporali.

1) *Designatio finis consociationis in Ecclesiae missionem*

Criterium teleologicum signabit quousque aliqua consociatio cum fine socio-temporali poterit esse considerata societas fidelium. Nam unus idemque finis socio-temporalis potest inveniri cum relatione efectiva tum missioni Ecclesiae, tum aliae ideologiae atque etiam potest habere, ut unicum propositum, illum finem temporalem quem sibi proponit. In primo casu agitur de consociatione clare civili dum in casu secundo quaestio est de consociatione canonica. Discrimen unius ab alia proveniet praecise ex substractu ideologico qui secum fert motivationes respondentes et tendentias simul ac aequilibrium in methodis adhibitis.

Hoc inde eruitur, scilicet, quod, etiamsi obiectum immediatum sit ordinis socio-temporalis debet claudi in aliquo fine ampliori — fine mediato — qui in participatione ad Ecclesiae missionem consistat. Unde deducere possumus fines, qui plasmari valent in consociationes canonicas christifidelium, esse debere non solum cohaerentes cum Ecclesiae missione, verum etiam semper manere pendentes a sua executione, quod clare in statutis exprimendum erit.

2) *Mediationes saeculares in finibus socio-temporalibus*

Multae consociationes, quae fines intendunt relativos ad iustitiam, pacem et fraternitatem in mundo, ob

hanc praecisse rationem cohaerentiae actionis propriae in mundo, praescindere non queunt a mediis saecularibus, immersis in ordinibus socio-politicis et oeconomicis, magni momenti. Quatenus actio harum consociationum incidat in structuras temporales, sub luce doctrinae Ecclesiae, tales activitates convergunt in illam actionem politicam quae, suapte ratione, vocatur ad talibus necessitatibus subveniendum. Hac de causa, oportet investigare cohaerentiam cum natura Ecclesiae illorum mediorum practicorum quibus aliqua consociatio utitur in ordine ad sua obiecta, ut appareat an determinata consociatio includi valeat cum consociationibus canonicis.

a) *Mediationes socio-politicae*

Apostolica Constitutio Gaudium et Spes claram distinctionem statuit inter activitates quas fideles exercent «tamquam cives» et illas quas «nomine Ecclesiae una cum pastoribus» efficiunt. De duobus agitur activitatis titulis erga structuras (Cf. GS 76), et hac ratione, actio politica erit opus christianorum, individuali vel consociato modo, peractum «tamquam cives», qui semper propria christiana conscientia ducuntur. Ecclesia, tamen, semper conservare debet propriam autonomiam propheticam et independentiam evangelii quod praedicat de dedicatione plena ad mundi conversionem (Cf. GS 76) et consequenter actio christianorum «nomine Ecclesiae una cum pastoribus» talis esse debet quae identitatem Ecclesiae non maculet sed e contra manifestatio illius sit.

Idcirco, consociationes quae inseruntur in identitate et missione Ecclesiae, quando incidunt in structuris culturalibus, socialibus, oeconomicis et sindacalibus, non possunt ante oculos non habere hoc eas

facere sub hoc «titulo» et aliquo modo eas esse repraesentatrices Ecclesiae in suis actibus. Earum praesentia in structuris, erit manifestatio prophetica amoris fraterni et gratuiti Jesu cuius Ecclesia sacramentum existit. Hoc modo significatur concrete actionem supra structuram, si aliquando accidat eam includere determinatam ideologiam non convenire cum «titulo» Ecclesiae et in hoc casu poterit periculosam confusionem inducere ex duabus partibus. Debet, igitur, excludi ex christifidelium consociationibus quaelibet consociatio quae includit actionem directe vel indirecte politicam cum suis propriis methodis et ideologiis sectorialibus, quae periculum habent provocandi scisiones in communione ecclesiali. Nec oblivisci debet quod tangere non licet independentiam Ecclesiae necessariam (Cf. GS 76) nec pluralismum politicum quod oritur praecise ex diverso typo mediorum ideologicorum ad obtinendos fines ethice coincidentes (Cf. 43, OA 50). Universalis identitas Ecclesiae et puritas doctrinae est illud quod apertam separationem exigit inter diversa media specifica uniuscuiusque consociationis.

b) *Mediationes socio-oeconomicae*

Mediationes socio-oeconomicae offerunt frequenter eandem complexitatem quam politicae, earumque usus Ecclesiae imaginem deformat. Complexa problemata quae technica opera emporii moderni creant una cum formis oeconomicis et monetariis quae in usu sunt in populis in via evolutionis et in eis iam evolutis sed qui causa sunt instabilitatis oeconomiae internationalis, suapte natura incapaces fiunt verae communionis cum Ecclesia. Ergo, si consociatio ingreditur in structuram socio-oeconomicam et in technicam propriam capitalismi, ipso facto excludi debet a consocia-

tionibus canonicis, quia medium oeconomicum adhibitum cohaerere nequit cum Ecclesiae natura. Attamen, si consociatio restringitur ad munus «intermediarii benevoli» quin directe in technicam productionis ingrediatur, consociatio computari potest inter consociationes canonicas. Electio typi et modi consociationis canonicae pendet a maiore vel minore evangelica puritate in usu mediationis oeconomicae inhaerente ad suam activitatem.

3) *Criteria generalia ad consociationem ut canonicam vel civilem assignandam.*

Ea quae hucusque diximus permittunt quamdam designationem facere eorum elementorum quae necessaria sunt ad hoc ut consociatio socio-temporalis possit inter consociationes christifidelium canonicas reputari.

1. Finis immediatus, quem sibi consociatio adscribit. Hic finis debet congruere cum Ecclesiae missione, quapropter fines directe politici et syndicales reiciuntur.

2. Finis medius, sive scopus ultimus consociationis, scilicet, illud propter quod in praxim adducitur determinatus finis, quodque, in hoc casu, esse debet clare missio Ecclesiae. Ad eius discriminationem obtinendam prae oculis habenda sunt obiectivi, causae et fines ultimi a consociatione intenti. Haec omnia cavere debent non solum quamcumque ideologiam verum etiam nequeunt a quacumque pendere etiamsi hoc indirecte fiat.

3. Mediationes socio-temporales, quibus consociationes utuntur, non debent tantam magnitudinem acquirere ut fini ultimo aut naturae Ecclesiae nocere valeant. Proinde consociatio in assecutione proprio-

rum finium non debet involvi in mediis socio-politicis vel in quibus systemata oeconomica talia sint quae identitatem Ecclesiae obnubilent, cuilibet fidelium canonicae consociationi essentialem.

4. Discrimina socio-culturalia, sive consideratio diversarum notarum relate ad determinatum statum iuxta adiuncta temporum (cf. OA, 4 et 50), sub Evangelii et doctrinae socialis Ecclesiae luce, ita ut appareat actionem socialem harum consociationum non maculare evangelii puritatem, et ut possint esse quaedam Ecclesiae prophetica praesentia in determinato ordine (cf. GS 76).

Ex his criteriis infertur gradum ecclesialitatis alicuius consociationis se habere inversa proportionem relate ad gradum suae saecularitatis. Secundum quod actio et media saecularia complexiora sint et in citatis systematibus includantur, gradus ecclesialitatis in consociatione decrescit relate ad Ecclesiae missionem. E converso, quoties gradus ecclesialitatis augeatur, puritas in usu technicae et mediorum maior erit, quia hac eadem proportionem consociatio erit manifestatio Ecclesiae eamque praesentem reddet in suis activitatibus. Haec nota essentialis erit ad determinandam categoriam civilem vel canonicam consociationis quae hanc finis speciem afferat. In praxi, gradus ecclesialitatis consociationis eiusque respective gradus saecularitatis concrete inspectus in modo activitatis erga structuras, constituent illud quod aptos nos facient ad discernendas illas consociationes cum fine socio-temporali quae canonicae appellantur.

8. Conclusiones

Quamvis fines socio-temporales includantur inter fines generales consociationum christifidelium et for-

maliter possint configurari tamquam publicae consociationes (cf. can. 301 § 2) vel privatae (cf. can. 299 § 1), hae finium species prout habentur ut «in saeculo et ex saeculo» magis conveniunt cum modo privato quam cum modo publico consociationum christifidelium. Haec ultima secum fert participationem auctoritatis ecclesiasticae in erectione canonica et in «missione», considerata quasi iuridica determinatione quam consociatio recipit ad actionem qualificatam «nomine Ecclesiae». Actio erga structuras, quae ex legitimo pluralismo procedit, melius convenit cum libertate fundamentali qua illae privatae consociationes gaudent, quae ex «missione ex baptismo» exsurgunt, cum minori representatione ecclesiali. Itemque tum media socio-temporalia quae consociatio adhibet, tum eius frequens aperitio ad acatholicos, indoli privatae favent, quamvis non necessario laicorum, quandoquidem ad illas etiam alii christifideles pertinere valent.

Illis adscribentur eae consociationes christifidelium quae, in ordine socio-temporali agentes, sibi ultimum finem proponunt executionem missionis Ecclesiae, et adhibent systema mediorum congruentium cum Ecclesiae identitate et cum eius doctrinae natura. Gradus ecclesialitatis inversam proportionem habebit cum grado saecularitatis, qui manifestatur in obiectis et technica saeculari quibus utitur.

Ad electionem speciei et modi consociationis faciendam, necesse erit recte perpendere tum criteria ecclesialitatis huic generi consociationum aptata, tum inconvenientia ex deficiente legislatione circa consociationes privatas emanantia. Reapse, consociationes privatae, quae personalitate iuridica fruuntur, elatum gradum ecclesialitatis secum ferunt, qui potest nocivus reddi in casu consociationum cum fine socio-

temporali, dum e contrario, privatae consociationes recognitae nihil aliud implicant nisi valorem auctoritatis ecclesiasticae testificantis eas sese cum missione Ecclesiae conformari.

Cum ad executionem horum criteriorum pervenitur, bene advertenda est opportunitas vel convenientia alicuius consociationis in concreto casu: opportunitas non debet confundi cum opportunismo nec temperatione cum criteriis mundanis vel gubernantium in determinata natione, sed opportunitas prophetica in valoribus evangelicis insita ad quorum normam antedicta criteria declarabuntur quin timeamus in fratrum nostrorum necessitate temerarie immisceri.

Non ergo sufficit has consociationes sub unico legali aspectu considerare sed etiam attendendum est ad speciem imaginis Ecclesiae quam ante societatem civilem exhibent, quia semper praevalere debet criterium autenticitatis et concordiae inter fidem et vitam membrorum (cf. AA 19 et can. 327). Nec tamen est oblivioni mandandum Codicem Iuris Canonici proclamare ius fundamentale fidelium, ad consociationes cum finibus ecclesialibus constituendum.

Itaque, hae consociationes, ante societatem humanam, ostendere debent dynamismum Regni et suorum valorum, prae oculis habentes, quod eae consociationes, cum in praxim inducunt aliquam partem missionis Ecclesiae, praesentem etiam reddunt relate ad hanc solam partem mysterium et ministerium Ecclesiae, dum signa amoris universalis et gratuiti Christi apponunt, cuius Ecclesia est sacramentum.

MARIA PILAR FIOL CHIMELIS